

Chaldaeos & Græcos jam olim illam stabiliverint, multis probat *Celeb. Buddeus* in *Diss. de Spinozismo ante Spinozam*, ubi simul ostendit, nullam sectam ex veteribus magis recedere a Spinozismo quam Platonicam, utpote quæ maximam Deo libertatem tribuat, eumque quam accuratissime a materia removeat; attamen *Celeb. Gundlingius* multis probare annitur, Platonem etiam, quod materia ex Deo emanaverit, credidisse.

§. 4. In Spinozismo debellando operam satis laudandam præstiterunt viri celebres *Henricus Morus* & *Petrus Poiret*. Sed cum periculo non careat, errorem producere sine confutatione, ad præcipuas Spinozæ rationes paucis respondebimus. Superstruit autem suam impiam opinionem his imprimis fundamentis. I. *quod ad naturam substantiæ pertineat, ut sit a se & necessario existat*. Hæc propositio vera quidem, si sermo est de substantia increata, sed falsissima, si intelligatur substantia ab alio dependens. II. *quod una substantia non possit produci ab alia substantia*. Hæc thesis falsissima est, cum nil obstet, quo minus substantia, infinitis perfectionibus prædita, aliam producat substantiam. III. *quod in rerum natura non possint dari duæ substantiæ ejusdem naturæ, hoc est, ut ipse interpretatur, commune aliquid inter se habentes, proindeque earum una alterius causa esse nequeat*: enim vero præterquam quod falsum sit, dari substantias nil commune inter se habentes, nullam contradictionem involvit, ut substantia infinitæ perfectionis aliam imperfectiorem procreet. C 2 §. 5.